

so fiunt. Obruta, quibus jam prius percussa nec procurata feriuntur, itemque Regalia, Inferna, Hospitalia, auxiliaria &c. Quæ omnia atq; singula tam obscura sunt, ut vix Delius Hariolator sufficiat: tam absurda, ut recitasse, refutasse fiet.

§. II. Tergeminum verò fulminum constitui rectissimè potest *Genus*. Primum *terebrans* dicitur, quod per angustam meare potest ob flammæ puritatem ac subtilitatem, porosa permeans, solida consumens. Hoc fulminis genere, oculis illæsis conflatur aurum & argentum. Vaginâ illibatâ, in liquorem abit ensis. Stat fracto dolio vinum, stupore veluti correptum; ad bibendum penitus ineptum. Animantia venenata, hoc icta fulmine, veneno spoliantur. *Discutiens* est, quod conglobatum, Spiritus nitrosi ac sulphurei coacti & (ut Seneca inquit,) *procellosi admixtam vim habet*. Hoc læduntur armenta, dejiciuntur segetes, robora altissima quatiuntur, sternuntur turres, & monumenta superbissima exagitantur. *Urens* dicitur, quod maximè ignitum, objecta nunc afflando, nunc inflammando, nunc concremando lædit. Huic obnoxia omnia fermè corpora solida combustibilia, arbores, turres, ædes, pagi, stipulæ etiam, ac cum fœno stramina, quæ à truci hoc Vulcano exuruntur. Consulendus hîc imprimis *Seneca* est, locis suprâ citatis, & conferendus *Incomparabilis SPERLINGIUS* Lib. V. Inst. Phys.

#### PORISMA II.

*Tonitru aliud crepans est, stridens aliud, aliud tumultuans.*

§. I. Divisionis hujus non omninò ignarum fuisse Romanorum sapientem, patet ex sequentibus: *Tonitrua* distinxere quidam ita, ut dicerent, unum esse genus, cujus sit grave murmur, quale terrarum motum antecedit, clauso vento & fremente. Et paulò post: aliud genus, ait, est acre, quod crepitum magis dixerim, quàm sonum: qualem audire solemus, cum super caput alicujus disrupta vesica est. Hoc propriè fragor dicitur &c. Crepans igitur est, quando Spiritus Sulphurei nitrosi conjuncti, in nube ab igniculis accendantur, ac celerrimo impetu aërem,

*Senec. lib. 2.  
99. Nat. c. 27.*